



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Consolatio Desperantium, Seu Conciones De Magna Dei
erga Peccatores serio poenitentes, comitate**

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1617

II. Qvomodo Respondendum Sit illis, qui suam de Misericordia Dei
præsumptionem fundare conantur in historia de Traiano & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56142](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56142)

aciei partem meretur, si enim prima acie collocata fuisset, nec astrictam dexteram habuisset, obuia quemuis prostrasset: Nunc autem quia primam aciem misericordia duxit, multi eius oblationibus & fauoribus bene vsi confidenter se Iustitiæ diuinæ prelostant, aut quia bene vixerunt, aut probè pœnituerunt nam, *Malacausa est, quæ requirit misericordiam.* Itaque amici Auditores, ne nosiplos decipiamus cum auscultamus, *Misericordia motus est;* cum in Psalmis legitur *Domine meus misericordia mea,* & Augustino hunc locum exponenti credimus. *O nomen sub quo nemini disputandum est,* cum de magna Dei misericordia differimus aut disputamus: sed è contra cogitemus quod misericordiam solum certo aliquo tempore exerceat, quod elapso frustra peccatorum remissio, iustificatio, et salus speratur, quantumuis Deus infinite misericors sit.

Publius.

Psal. 58.

*Ouid. in
Nin.*

*Nec mortis pœnas mors altera finiet huius,
Horag, erit tantis ultima nulla malis.*

II.

QVOMODO RESPONDENDVM SIT
illis, qui suam de Misericordia Dei presumptionem fundare conantur in historia de Traiano & alijs.

Missal.

Rom. 14.

Iulij.

Sed dicet quispiam, cur ergo Ecclesia orat pro defunctis, tam beatis quam alijs alibi adhuc detentis; nam in Secreta oratione de S. Bonaventura ait, *Domine per hæc pie placationis officia & illum Bonaventuram (scilicet) beatæ retributio comitetur, & in Missa defunctorum, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer sanctus Michael representet eas in lucem sanctam, &c.* Significat ergo Ecclesia quod etiam pro mortuis aliqua misericordia operanda

anda sit; & viuorum suffragijs defunctis solatium aliquod praestari passim omnes Catholici credunt: Deinde quid dicemus de his qui in veteri & nouo Testamento ad vitam reuocati sunt, quales fuere filius viduae per Helisam suscitatus, & alter a latronibus interfectus, qui solo contactu ossium Helisae ad vitam redijt: quales fuere adolescens iuxta Naim à Iesu Christo ad vitam reuocatus; puella duodecim annorum Archi-Synagogi filia; Lazarus quatriduuanus & sceleratus; & multa millia ab alijs varijs Sanctis ad vitam reducta? his enim post mortem summa misericordia exhibita fuit, ideo enim resuscitati & anima ad corpus reuocata, ut meliorem quam fecerant vitam instituerent, & priora errata, quae in iuuenili & lubrica aetate facile obrepunt, euitarent: facit ergo Deus etiam post mortem misericordiam. Praeterea quid responderi poterit, si vera est historia quae de S. Gregorio Papa & animae Traiani optimi Imperatoris narratur? est autem talis, Sanctus Gregorius aliquando forum Traiani transiens recordatus fuit maximae benignitatis, mansuetudinis & misericordiae dicti Imperatoris, qui cum festinus in bellum pro Republ. pergeret, ac à vidua filium suum interfectum conquerente interpellatus esset, benignè ei aurem praebuit, cum enim illa vindictam expetisset, & Imperator se à bello reducem & incolumem vindicaturum promississet, vrsit illa & quid si Imperatori, quod Deus auerrat, funestum quid acciderit, quis me vindicabit? Respondit ipse, Qui succederet in Imperio: mox illa replicauit, Et quid hoc Maiestati vestrae proderit? eoque fatente, quod nihil, intulit vidua, Annon ergo expedit tibi ut tu potius quam alius mihi iustitiam administres? Ex equo itaque descendit, tellam poni iussit, causam & actores audiuit, deprehensum puniuit, viduae satisfecit, & ad bellum abiit: Hanc inquam Traiani bonitatem & Iustitiam miratus S. Gregorius in Ecclesia S. Petri pro eius animae salute amarissimè

issimè orauit, ac diuinitus ei responsum est: Preces tuas exaudiui, & pœnam æternam Traiano condonauit; caue tamen in pœterum pro animabus damnatis intercedas. Hic enim clarissimè dicitur Deum eum post mortem ad misericordiam commoueri, & *Misericordia motus est.*

Deinde magnus ille scientiarum thesaurus Origenes, an non docuit ipsos dæmones post multa & grauius supplicia ex Inferno liberandos, & in Paradisum reduccendos esse? S. Augustinus quoque l. 21. de ciuit. Dei c. 17. & 18. docet quosdam suo tempore fuisse, qui difficultè sibi persuadere poterant, damnatos in æternum damnandos: Quid adhæc respondebimus? videamus.

Ad orationem itaque secretam Ecclesie de S. Bonauentura dico, his uerbis ecclesiam non petere predicto Sancto remissionem alicuius peccati vel pœnæ, aut commutationem alicuius pœnæ in aliam; non sed solum augmentum gloriæ accidentalis, quam radicaliter bonis suis operibus & exemplis in hac uita promeritus erat: Dico radicaliter promeritus, non ecclesia hoc augmentum ei non petit ueniam gratiam, sed ut debitum & mercedem ex vi pacti mereatur Deum & bonos omnes iniri. Preces autem, quæ officio defunctorum pro mortuis recitantur, non in intentione ab ecclesia recitantur, ut illis pro quibus dicuntur remissionem peccati mortalis aut pœnæ æternæ obtineant, sed solum pro obtinenda remissione peccatorum uenialium, & imminutione pœnarum Purgatorij quæ Infernalibus simillimæ sunt. Et hic ictus in irritum cadit, non enim loquimur nisi de magna Dei misericordia qua peccata mortalia dimittuntur, & gratia iustificans infunditur, de qua Propheta loquitur dicens: *Miserere mei Deus, secundam magnam misericordiam tuam;* & hæc in nullos mortuos uenres effunditur, *Dum spiro, spero.*

Psal. 50.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in Infernum; Sed nos, qui uiuimus benedicimus Domino. Non negamus tamen quin post mortem

aliqualem adhuc misericordiam, etiam dānatis, puniēdo eos citra condignum, præster Deo, *Nam et tantes edunt de micis, que cadunt de mensa Dominorum suorum.*

Quod autem mortuos ad vitam reuocatos concernit, respondeo eos aut fuisse saluatos & in gloria, aut damnatos & in æterna pœna, aut suspensos à gloria in Purgatorio hæsisse. Si fuerint ex numero beatorum, nulla gratia aut misericordia ipsis præstita est cum ad vitam reuocati sunt, sed potius pœna inflicta, qua è tam felici possessione ad tempus exclusi denudò in arenam & campum immissi sunt, vt in hac valle lachrymarum & miseriarum denuo decerarent.

Horat. l. 1.
ep. 1.

*Spe fatum satis, et donatum iam rede, queris
Mecenas iterum antiquo me includere ludo?*

Et sic legimus quosdam à mortuis reuocatos infelicitatem suam planxisse, & nominatim quendam fratrem laicum Obertum nomine qui resuscitatus dicebat, *Hic ego quid facio: certè hic esse nolo. Hic ego quid facio: certè redire volo.* Alij autem hanc priuationem tanti boui & nouas viuendi molestias libentes susceperunt, vt seruiendo Deo & iuuando proximos merita sua auerent, ac Angelis hominibus inferuentibus similes essent: qui cum S. Martino dicere poterant, *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non rogo laborem; fiat voluntas tua.*

Caesarius
l. 11. c. 6.

Si autem in Purgatorio fuerint, loci mutatio ipsis tantum concessa fuit, & pœnæ breuiores sed grauiores, in alias leuiiores sed diuturniores permutatæ sunt:

Quod dolor in longinquitate leuis, in grauitate breuis esse soleat; vt eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem auersatio consoletur, inquit Cicero. Hæc autem non est magna illa misericordia quam mortuis impendi negamus, cum existentes in Purgatorio iustificati sūt.

Cic. lib. 1.
de finib.

Si autem in tali statu decesserint in quo merebantur

R bantur

Chron.
Minor.
part. 2.

Hieron.
ep. 4 ad
Nepot.
edit. Ca.
vij.

bantur in baratrum Inferni præcipitari, qualis
erat ille in Castilia Episcopus Petrus nomine, quem
gloriosus Pater & legislator noster Franciscus ab In-
ferno præseruauit; qualis fortè Adolefcensille qui
ex Naim efferebatur, nam vt inquit Hieronymus
Adolefcencia multa corporis bella sustinet; qualis fortè
fuit Lazarus etiam nobilis adolefcens & dissolutus
illius Magdalenaæ frater: In his fateor difficilior est
responsio; his enim casibus maxima esset De-
i erga tales misericordia: quia tamen hi casus
extraordinarij & rari sunt instar Phœnicis, aut le-
rundi nis tempus verum præuenientis, non possunt
in nobis contra dictam resolutionem spem ali-
quam excitare: Quis enim audebit sperare se ex hoc
exiguo numero futurum? quis præsumere audebit
sibi foli tot millibus præteritis hanc misericordiam
præstandam? Deinde benè ait Seruius in illius
lib. 6. *Æneid. Regna inuia viuis, Aspicias, &c.*

*Qua contra naturam sunt non afferunt præiudicium
generalitati; unde ait, Inuia: licet & Hercules & Iulus
transierint, & sit Æneas transiturus, sic dictum est
illud:*

*Euaditq; celer ripa irremeabilis unda.
Virgil. 6. Æneid.*

*Facilis descensus Auernæ
Noctes atq; dies patet atri ianua Diuis,
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras
Hoc opus, hic labor est; pauci quos æquus amauit
Iupiter.
Vna hirundo non facit ver.*

Deinde cum omnes casus oppositi in vno sorte in-
dentur, per fortè non dissolui possunt, simili modo
similis cuneus.

De Traiano nonnulli dixerunt ipsum ad vitam redi-
isse, pœnitentiã egisse & sic æternam gloriam prome-
ritum: Quidam dicunt ipsum tunc non liberatum
sed vsque ad diem Iudicij in Inferno permanurum
Ioannes Diaconus. qui vitam Gregorij conscripsit
putat eum Traiano non gloriam cœlestem sed
dignitatem

iam exemptionem à pœnis damnatorum impetrasse: Diuus Thomas & Richardus probabilius dicunt Traianum non fuisse damnatum definitiua sententia, eò quod diuina Sapiencia præuiderat S. Gregorium pro ipso oraturum, & propterea speciali priuilegio à dānatione quā merebatur propter Sancti viri orationē præseruatus est: Quod idem factū putamus in Lazaro propter præuistas preces Marthæ & Mariæ; in Adolescente propter pias lachrymas Matris uiduæ, quorum sententia dilata fuit. Sed quicquid sit, hæc omnia extraordinaria sunt & rarissima; neque cum periculo aternæ damnationis præsumendum est, nos ex hoc exiguo numero esse: Quis enim pro te Gregorius, quæ Martha & Magdalena orabunt, & apud Christum intercedent? Itane tibi opportunè Christus ut adolescenti qui efferebatur occurrit? Non sane; iam tempus miraculorum abiit, fides miraculis satis firmata est.

Opinio autem Origenis & aliorum qui putant pœnas dæmonum & hominum damnatorum saltem aliquorum aliquando finiendas, maximè eorum pro quibus Sancti intercedent, iam diu ab Ecclesia damnatus error, & à diuo Augustino dicto loco tam disertè & copiosè refutatus, ut his aliquid addere sit aquam in mare ferre, & Soli candelam accendere: solum itaque cum S. Augustino lib. 21. de ciuit. cap. 23. *Si utrumq; aeternum, profectio aut utrumq; cum sine diuturnum, aut utrumq; sine sine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem in hoc uno eodemq; sensu, vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est: Vnde quia vita aeterna sanctorum sine fine erit, supplicium quoque aeternum quibus erit, finem proculdubio non habebit. Item lib. 21. cap. 2.*

Homo factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se

R 2

per-

peremit bonum, quod esse posset aeternum. Fixum itaque maneat posthac vitam nullam misericordiam superesse, nullam bonitatem, nullam clementiam, sed aeternumque sedebit, quam quisque sortitus est bonum aut malam sedem in ea ei perpetuo permanendum est: & quamuis ad raum vsque misericordiam imploremus, tamen ne guttam quidem aquae cum diuina Epulone obtinebimus. Utamur itaque amici Auditoris praesenti occasione quamdiu Deus misericordiam commouetur, quamdiu dies est & cleemosynas suas distribuit:

*Psal. 94.
Prou. 6.*

Hodie, hodie, si vocem eius audieritis; nolite obturcare corda vestra.

Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis.

*Aestas non semper fuerit composita nidus.
Fronte capillata est, posthac occasio calua.*

Prou. 6.

Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & discite sapientiam, quae cum non habeat ducem neque praetorem, nec principem parat in aestate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.

Tempestiuè ex his regionibus auolant hirundines vt maturè in calidas regiones aduolare possint: Nos quoque penitentiae operam demus, quam diu nulla Misericordiae patet, quam diu omni venienti & obeunti audientia datur, quam diu nullum peccatum diuinam misericordiam superat; quam diu spiramus de diuina bonitate & misericordia optime speremus, & ad remissionem peccatorum nostrorum frequentibus suspirijs aspiremus.

*Crede mihi miseris caelestia numina parant,
* Cum bene peccati poenituisse vident.*

Si inter electos & saluandos primi esse nequimus secundo loco consistere non dedignemur:

*Horat. l. 1.
ep. 1.*

*Non possis oculo quantum contendere lyncæ,
Non tamen idcirco contemnas lippus insungi;
Nec quia desperes inuicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra.
Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.*

Et quid? hoc tam oportuno tempore de peccatis non dolere & ad Deum conuerti, est de eius misericordia desperare, quem Misericordia & compassio à cælo in terram detraxit; nam vt Augustinus ait. *Misericordia Dei filium de cælo deposuit. & corpore induit.* Et cur de eius bonitate diffideremus qui pro nobis ex virgine Matre mortalis nasci dignatus est? qui stabulum, præsepe, tænum, & sctida animalia propter nos non exhorruit? Et quis? qui iam ab æterno natus erat Deus de Deo, immortalis de immortali: qui in curia cælesti commorari consueuerat; qui pascebatur inter lilia, cui multa Angelorum millia flexis poplitibus & inclinatis capitibus ministrabant. Et quid? de eius bonitate & misericordia desperabimus qui vt nos propter gulam Adami damnatos liberaret, quadraginta dies & noctes ieiunauerit, ac instar chameleontis aere vixerit? Et quis? ille qui olim quadraginta annos populum Israeliticum in deserto pavit; qui aperit manum suam & implet omne animal benedictione. De eius bonitate humiliter sentiemus qui pro nobis filijs mortis quam nostro furto fructus vetiti merebamus, inter duos latrones crucifigi voluit: quis ille? qui in cælo medium inter Patrem & Spiritum sanctum locum obrinet.

Misericordia motus est. Equid? de eius clementia abiectè sentiendum erit, qui misericordia & compassione erga nos miseras creaturas prius damnatas, quam natus descendit ad inferos, vt inde prædestinatos educeret? & quis? cui cæli cælorum hæc dignum habitaculum suppeditant: *Misericordia motus est.*

Non ita, non ita, amici Auditores, sed tempestiuè poenitentia ducamur, nec diffidamus Indulgentiam præteritorum obtinere ab eo, in quo ita Misericordia dominatur, & Maiestatem illam diuinam ad tam abiecta & vilia propter nos

R. 3. homi-

homines inclinavit, & in omnem omnino partem conuerterit: *Misericordia motus est: Qui ergo de Iesu Christo desperat, neque ipsum, neque eius bonitatem satis perspectam habet. Amen.*

CONCIO DECIMA.

Græca. Thema. Καὶ ἐσπλαγχνίσθη.

Vulgata. Et misericordia motus est.

Syriaca. Et misertus est eius.

Factâ breui repetitione Concionis præcedentis, ut mos meus est, talis fuit propositio.

- I. Quod Iesus Christus eam misericordiam, qua dicit proximo dimitienda esse peccata, uel nobis esse quam commendatissimam.
- II. Quod, quo sunt creature generosiores, eo frequentius accidunt, mansuetiores sunt, & misericordiam propensiores. Quod naturâ instinctu omnes ad misericordiam cupiditatem ducamur.

I.
QUOD IESVS CHRISTVS EAM MISERICORDIAM, qua dicit proximo dimitienda esse peccata, uelit nobis esse quam commendatissimam.

Omibus, ut mea fert opinio, notum est. & conspicuum (animæ dilectissimæ) misericordiam duo importare; aut, ut planius loquar, esse misericordiam species, quarum una dicit remittenda esse, quæ in nos admittitur, peccata: altera